





1.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.



DEO AVTORE
THESES JURIDICAS
DE
STIPULATIONIBUS.

SUB PRÆSIDIO
CLARISSIMI, ET
CONSULTISSIMI VIRI
DN. SIGISMUNDI *Glach* / PRO-
fessoris publici Patroni & Præce-
ptoris sui honorandi.

Ad diem 7. Junij.

*Publicè & solenniter examinandas
proponet.*

ADAMUS *Hünener* / Argentoratensis.




ARGENTORATI,
EXCUDEBAT PAULUS LEDERTZ,
Anno M. DC. XXVII.

77.

1627/5.

~~XXXX~~



VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSI-
MIS ET PRVDENTISSIMIS,

Dn. JOHANNI Heller/ Consulari, Cognato,

Dn. FRANCISCO RUDOLPHO Ingolt/
XIII-Viro, Academiae Scholarchæ,

*Dominis & Patronis suis omni honoris
& observantia cultu prosequendis,*

Theses hasce Juridicas

*In debita animi submissionis testi-
monium, suiq; ulteriorem com-
mendationem.*

Offert & dicat

Adamus Hünerer.
Autor.



THESIUM JURIDICARUM DE STIPULATIONIBUS,

PRIMA.



Tipulatio (a) definitur, (b) quod sit verborum conceptio. (c) quibus is qui interrogatur, (d) daturum facturumve (e) se, (f) quod interrogatus est, respondet, (g).

(a) Dicta est autem Stipulatio à stipulo, quod apud veteres firmum appellabatur, descendens fortè à stipite, *pr. Instit. de V. O.* significante fustem sive truncum terræ firmiter defixum. *l. 18. prin. ff. de action. empt. Casar lib. 1. de bell. Galli.* Minus congruè alii à stipite, sive pecunia illa sit militibus in stipendium dari, *Varro lib. 4. de ling. lat. Fest. in stipem. l. 27. §. 1. ff. de V. S.* sive Diis offerri solita. *Tacit. lib. 5. histor. cap. 5.* sive eâ significatione accipiatur, quâ utitur *J. C. in l. 1. §. 1. ff. de colleg. & corpor.* derivant. Neq; Alciati opinio (quæ tamen non adeò in congrua est,) *DD.* probari videtur, qui *ἀπὸ τῆς σὺφειν* ab astringendo, (fortè quod Stipulatio arctissimum sit vinculum ad conservandam atq; præstandam fidem, parit enim stricti Juris actionem, ut videre est infra *ex th. n. 6. lit. d.*) deducit. *lib. 1. τὰ περὶ. 6. 39.* Ut ut sit, cui enim hic lusus bono? illud sciendum est, triplicem in Jure nostro Stipulationis vocabulum agnoscere significationem. Nam 1. sumitur pro interrogatione solenni eius, qui alterum sibi obligatum cupit. *l. 2. §. 5. l. 12. & passim ff. de V. O.* ita, ut tandem obtinuerit, eum solum Stipulatorem dici, qui interrogat. *Wesemb. in paratit. lib. 45. tit. 1. n. 2.* 2. pro ad interrogationem responsione sive promissione, *l. 15. princ. ff. de procurat. l. 7. §. 1. ff. de eo quod cert. loc. l. 26. §. 13. ff. de condict. indeb. l. 46. §. ult. ff. de V. O. l. 36. ff.*

de action. emp. 3. pro toto illo contractu civili, qui ex inter rogatione & responsione solenni constat, quem definivimus in præsentiarum. *l. 5. §. 1. ff. de V. O. & passim Inst. ff. & C. eod.* (b) in *l. 5. §. 1. ff. de V. O.* (c) sive contractus, (stipulationem enim verum & nominatum contractum esse, evincunt *l. 1. §. ult. ff. de pact. l. 9. §. 3. ff. de reb. credit. l. 31. ff. de O. & A. l. 1. §. 1. l. 2. l. 7. ff. de novat. l. 7. C. de his quæ vi met. cau. l. un. C. ut act. & ab here. & in hered. l. 25. C. de testam. §. ult. Instit. de O. Schneidenvv. in Instit. prin. de V. O. n. 5.) qui verbis conceptis perficitur: quo ipso à cæteris maximè contractibus differt, qui nudo interveniente consensu etiam sine verbis perficiuntur. *l. 35. §. 2. ff. de V. O. l. 2. l. 52. §. 4. ff. de O. & A.* indèq; generali nomine conventiones dicuntur in *l. 7. princ. ff. de pact.* Huic verò etsi consensus quoq; adesse debeat, ut apparebit ex *th. n. 11. lit. d.* eundem tamen verbis exprimi debere, formale stipulationis esse, demonstrabitur infra *th. 11. lit. f.* (d) Reus promittendi is dicitur. (e) vid. *th. n. 3.* (f) vid. *th. 11. lit. n.* (g) congruè sc. & ad modum qui proponetur in *d. th. 11. lit. m. & seqq.**

I I.

Dividitur autem Stipulatio multis modis, 1. A causâ efficiente; Stipulationes aliæ sunt Judiciales-(a) aliæ Prætoria, (b) aliæ conventionales, (c) aliæ communes. (d)

(a) Judiciales sunt, quæ à mero Judicis officio proficiuntur *l. 5. princ. versic. Judiciales, ff. de V. O. §. 1. Instit. de divis. Stipulat.* id est, quas Judex qui de litigantium causâ cognoscit, interponi jubet. *Bocer. class. 2. disput. 15. th. 88.* ut est de dolo cautio *l. 18. & 20. ff. de rei vendic. & aliæ,* quas ex parte recensent *§. 2. & 3. Instit. de offic. Judic.* (b) Prætoria verò (quibus & ædilitias subaudire oportet, *l. 5. princ. ff. de V. O. §. 7. Instit. de I. N. G. & C.*) sunt, quæ à mero Prætoris officio proficiuntur, *d. l. 5. & §. 2. Instit. de divis. stipulat.* hoc est, quæ ex jussu Prætoris, ut magistratus interponuntur. *Bocer. d. loc. th. 89.* Cujusmodi sunt damni infecti, legatorum servandorum; *tot. tit. ff. de damn. infec. Et, ut legator. servand. cau. & aliæ.* Triplices autem rursus sunt prætoria Stipulationes; Nimirum JUDICIALES, (dicuntur autem Judiciales, non quòd à Judice suum trahant originem, aut ab eo in causis litigantium interponantur, ut illæ quibus de modò dictum est. *sub lit. a.* sed quòd à Præторе propter

pter Judicium, ut ratum fiat, interponi soleant, l. 1. §. 1. ff. de stipulat. prat.) CAUTIONALES ET COMMUNES: quæ singulæ definiuntur & explicantur in d. l. 1. ff. de stipulat. prat. (c) Conventionales sunt, quæ ex conventionem reorum fiunt, quarum penè totidem sunt genera quot rerum contrahendarum. §. 3. Instit. de divis. stipulat. l. 5. princ. ff. de V. O. (d) Communes sunt, quæ interdum jussu Prætoris, interdum officio & mandato Judicis, interdum verò ex conventionem contrahentium interponuntur. Bocer. d. loc. th. 96. Ut sunt: Rem pupilli salvam fore, nam & Prætor jubet rem pupilli salvam fore caveri, d. l. 5. princ. & tot. tit. ff. rem pup. salv. fo. & interdum Judex, si aliter hæc res expediri nequeat. d. l. 5. & §. ult. Instit. de divis. stipulat. Item Rem ratam haberi aut Prætor jubet, l. 33. §. 3. ff. de procurat. aut Judex. §. ult. Inst. de divis. stipulat. aut inter partes de eo ita convenit. l. 10. ff. rem rat. hab. Azo in sum. ad 8. lib. Cod. tit. de contrah. stipulat. n. 28.

I I I.

2. Ratione materiæ Stipulationes aliæ in dando (a) consistunt, aliæ in faciendo, (b) vel utroq; simul, (c)

(a) Notandum est autem Dari hinc plus esse quam tradi, si enim rem dari stipulamur, id agimus, ut dominium transferatur, §. 14. Instit. de action. l. 75. §. ult. ff. de V. O. sin verò tradi rem stipulamur, non intelligimur proprietatem eius dari stipulatori velle, sed tantum tradi. l. 28. ff. de V. O. id est nudam ad eum deferre possessionem, Traditio enim nihil est aliud, quam datio possessionis. Cujac. lib. 11. observ. cap. 19. in med. His verò Stipulationibus quæ in dando, & illas quæ in non dando consistunt, subaudire oportet, Wesenb. in parat. lib. 45. tit. 1. n. 3. quid si enim interest mea alii non dari? l. 9. ff. de V. O. aut mihi quoque certo loco? velut Romæ. l. 122. princ. ff. de V. O. (b) l. 28. l. 75. §. 7. l. 5. §. 1. ff. de V. O. §. fin. Instit. eod. quibus itidem subaudiendæ sunt illæ quæ in non faciendo consistunt. d. l. 75. §. 7. & l. 50. princ. ff. de V. O. (c) l. 13. C. de contrah. Stip.

I V.

3. Stipulationum dividuæ (a) sunt aliæ, aliæ individuæ. (b)

(a) Dividuæ autem dicuntur ideò, quod res in stipulationem

A 3

nem

nem deductæ, divisionem & partium præstationem recipiant, l. 2. §. 1. l. 72. princ. l. 85. princ. ff. de V. O. quippe rem dividere hîc nihil est aliud, quàm partem rei in stipulationem deductæ præstare, sive rem per partesolvere posse. l. 9. §. 1. ff. de solut. Goedd. de V. O. cap. 6. conclus. 22. n. 257. quod tamen non eò perinet, ac si cogatur Stipulator (nisi hoc idem ita convenerit. l. 41. §. 1. ff. de usur.) debitum sive rem promissam per partes atq; divisim in solutionem accipere l. 3. ff. famil. ercisc. l. 21. ff. de reb. credit: etsi ipsa per se divisionem admittat, Verùm si id ipsum contrahentibus placuerit, ut res promissa per partes solvi debeat, recipiat illa divisionem vel 1. Sui naturâ, tùm in dando, ut Res pondere, numero, mensurâ constantes, l. 2. §. 1. l. 9. §. 1. ff. de solut. l. 54. l. 117. ff. de V. O. l. 13. §. ult. ff. de reb. credit. Ususfructus item, qui etsi Jus sit, l. 1. & 2. ff. de usuf. & in Jure consistat, l. 1. ff. de rer. divis. eâq; de causâ individuus videri possit Hotoman. quest. illustr. 20. quatenus tamen certa eidem subesse solent corpora, hoc est. fructus qui dividi possunt, partium præstationem recipere, & dividuus esse rectè dicitur. l. 1. §. 9. & ibi not. Gothofr. ff. ad l. Falcid. l. 5. ff. de usuf. l. 14. 25. ff. quib. mo. usuf. amit. tùm in faciendo, ut si stipulemur amplius non agi, l. 4. §. 1. versic. atsi de eo ff. de V. O. Ratam rem haberi. d. l. & §. versic. videamus. Fundum tradi vel restitui. l. 86. §. 3. ff. de lega. 1. & c. vel 2. Juris intellectu. l. 5. ff. de stipulat. serv. l. 9. §. 1. ff. de solut. (b) Individuæ sunt, quæ divisionem sive partium præstationem ut illæ non admittunt. l. 2. §. 1. ff. de V. O. tùm in dando, ut stipulatio servitutis, itineris d. l. 2. §. 1. & aliæ, de quib. Colleg. Juridic. Argentor. lib. 45. tit. 1. n. 6. Bocer. clas. 2. disput. 15. th. 102. & seqq. tùm in faciendo, ut mihi herediq; meo habere licere. l. 3. princ. & l. 38. ff. de V. O. Dolum malum à te heredeq; tuo abfuturum. l. 4. princ. ff. de V. O. uno enim promissoris heredum dolum faciente, omnes tenentur, l. 44. §. 5. ff. famil. ercisc. & similes de quib. Colleg. Jurid. Argent. d. l. th. 8. & Bocer. d. itid. loc. His ita perspectis, subjungere libet de quo nondum inter omnes convenit: Ultram potiùs propositæ divisionis ad speciem Usus referri debeat, dividuus ne sit ille an individuus? Qui verò dividuum usum esse autumant, vel eo potissimum moventur, quod usus vel pars sit ususfructus, l. 58. ff. de V. O. vel certè non aliud, quàm ususfructus exiguus, sive fructus ad modum necessitatis Usuarii redactus.

l. 42. ff. de usufr. Hotomann. in quest. illustr. 20. manifestum est autem usufructum certo modo esse dividuum, ut ostensum præc. lit. a. Ergo & usus quoque erit dividuus: ut & Hotomann. videtur. d. l. Eorum tamen, qui individuum usum esse aiunt, ut Goedd. de V. O. cap. 6. conclus. 22. n. 292. & seqq. Hackelman. quest. illustr. disput. 22. th. 9. & aliorum veriore esse sententiam manifestum est ex l. 19. ff. de usu & habitat.

V.

4. Stipulationum certæ [a] sunt aliæ, aliæ incertæ. [b]

(a) Certa dicitur Stipulatio, cum ex ipsa pronuntiatione apparet, quid, quale, quantum sit quod stipulamur. l. 68. l. 74. ff. de V. O. (b) Incerta verò, non quæ genere suo ita incerta est, ut definiri nequeat, (eius enim generis stipulationes nullius momenti esse apparebit infra ex th. 11. lit. d.) l. 115. princ. l. 94. ff. de V. O. sed, cum intelligi non potest, quid, quale, quantumve sit, quod in eam deductum est, quales plerumque sunt facti. l. 75. ff. de V. O. Utriusque autem huius divisionis membri species è variis Juris textibus collectas vid. in Colleg. Iurid. Argent. lib. 45. tit. 1. th. 9. & seq. Bocer. class. 2. disput. 15. th. 106. & seqq.

V I.

Causa efficiens Stipulationum remota est Jus gentium; (a) Intermedia Jus Civile, (b) ἀποκαταστατικὴ duplex, Necessitas (c) & utilitas; (d) Efficiens proxima, personæ Stipulantes, (e)

(a) Utut alii videantur dissentire, è quibus in primis Hackelm. quest. illustr. disput. 22. th. 1. Treutl. volum. 1. disput. 27. th. 1. lit. c. & alii plures, qui à modò dictis suæ ergo confirmandæ sententiæ citari solent; Stipulationem è Jure gentium descendere, statuimus cum Colleg. Iurid. Argent. lib. 45. tit. 1. th. 12. ita stipulationem considerantes, quatenus stipulantium personarum consensus, & de re certâ conventio, ut in cæteris Juris gentium contractibus l. 1. §. 3. in fin. ff. de pact. l. 55. ff. de O. & A. l. 35. §. ult. ff. de V. O. ita & in stipulationibus necessariò requiritur. §. 12. & 22. Instit. de inutil. stipulat. l. 83. §. 1. l. 137. §. 1. ff. de V. O. facit autem ad confirmandam hanc

hanc sententiam in primis l. 21. §. 2. ff. de fidejussor. l. 8. §. 4. versic. idem
erit. ff. de acceptit. latius glossa in l. 1. §. 3. versic. adeo, sup. verb. consen-
sum ff. de pact. (b) Si formam spectes, (quæ proponetur infra th.
11.) §. 9. Inst. de action. l. 107. ff. de solut. l. 1. ff. loca. l. 126. §. 2. versic. pla-
nè. ff. de V. O. (c) eaq; manifesta, ut enim 1. creditori caveri potu-
isset fidejussione, nisi interveniente stipulatione? quâ sine fidejuf-
forem non teneri constat ex l. 5. §. 2. ff. de V. O. l. 12. C. de fidejussor.
Wesemb. in parat. lib. 46. tit. 1. n. 5. 2. Carendum quoq; fuisset no-
vatione, Novari enim non potest, nisi præcedente obligatione in
stipulationem deductâ. l. 1. §. 1. ibi: novari verbis potest, l. 6. princ. l.
32. ff. de novat. 3. Modo ad dissolvendas obligationes compendio-
so maximè, Acceptilatione nimirum, quæ fit quoq; per stipulatio-
nem. §. 1. & 2. Instit. quib. mo. oblig. toll. l. 1. ff. de accept. (d) eaque
triplex, Utilissimum enim est 1. stipulatione eas confirmare con-
ventiones quæ per se actionem non pariunt, ut sunt: Nudum pa-
ctum, l. 7. §. 4. ff. de pact. l. 5. C. de contrah. stipul. Permutatio ante
implementum sc. contractus. l. 3. C. de rer. permutat. intervenien-
te enim his stipulatione illicò agere ex eâ possumus, ne cultrâ pœni-
tentia locus est. d. l. 3. C. de rer. permut. & l. 5. C. de contrah. stipul. 2.
Esse contractum, qui absq; ullo rerum interventu, quæ nobis non
semper præstò esse solent, contrahentes obliget. Wesemb. in parat.
lib. 45. tit. 1. n. 10. 3. Cùm pariat actionem stricti Juris l. 78. ff. de V. O.
l. 5. §. ult. ff. de in lit. jur. fortè utiliùs quandòq; actori est hæc, quàm
istâ, quæ ex contractu bonæ fidei, cui stipulatio non novandi ani-
mo accessit, nasci solet, experiri, quod licebit utiq; Paul. 5. sentent.
7. versic. 1. (e) Stipulari verò possunt omnes, nisi naturâ prohibe-
antur aut legibus. Naturâ prohibentur 1. Mutus & Surdus, ille
quod loqui, hic quod loquentem exaudire non possit. §. 7. Instit. de
Inutil. stipulat. l. 1. §. 14. & 15. ff. de O. & A. si tamen verum est quod
Jctus opinatur in l. 10. C. qui testam. fac. poss. & surdum stipulari
posse, probabiliter fortè defendi poterit, cùm & similia ei de Jure
facere permissum sit. d. l. 10. 2. Infans qui fari non potest. l. 1. §. 13.
ff. de O. & A. l. 1. §. 2. ff. de administr. tut. secus si fari possit, nec refert
eo casu quò minùs utiliter stipuletur, eum quid agat non intellige-
re. §. 9. Instit. de Inutil. stipulat. l. 6. ff. rem pupil. salv. fo. 3. Furiosus.
l. 12. ff. de O. & A. l. 70. §. 4. ff. de fidejussor. ut enim cui animus deest
l. 2. ff.

87.
l. 2. ff. de procurat. consentiet, qui nec sentire potest? l. 8. §. 2. ff. de opt. leg. aut intelligere quid agat? §. 8. Instit. de Inutil. stipulat. quibus etiam de causis Jure civili nusquam esse furiosum ubi contrahitur, sed ubiq; absentem credimus. l. 2. §. 3. ff. de Iur. codicill. l. 124. ff. de R. I. Lege prohibentur, 1. Omnes qui non habent Jus civitatis, *argum.* l. 17. ff. de pæn. l. 14. §. 1. ff. de novat. 2. Quorum alter alterius potestati subest, à se invicem. §. 6. Instit. de Inutil. stipulat. princ. Instit. per qu. pers. no. acquir. l. 56. §. 1. ff. de fidejussor. Quemadmodum autem stipulari, ita promittere quoq; possunt omnes, qui non prohibentur vel naturâ, ut sunt ij qui neq; stipulari possunt, de quib. paulò antè diximus, vel lege, cuiusmodi sunt 1. Pupilli sine tutoris auctoritate, §. 9. & 10. Instit. de Inutil. stipulat. l. 1. C. de contrah. stipul. pr. Instit. de auctor. tut. tenentur tamen ex promissione suâ sine tutoris auctoritate factâ, in quantum eâdem ex stipulatione facti sunt locupletiores. l. 13. §. 1. cum l. seq. ff. de condit. indeb. 2. Impuberes in patriâ potestate constituti, ne patre quidem autore §. pupillus 9. Instit. de Inutil. stipul. l. ult. §. 2. ff. de V. O. 3. Is cui bonis interdictum est, l. 6. ff. de V. O. l. 1. & l. 10. ff. de curat. furio. Cæteri præter enumeratos promittere possunt omnes omnimò, qui alienare possunt. l. 2. ff. si quis à par. manumiss. l. 9. §. 3. ff. de acquir. rer. domin. l. 16. princ. ff. de Iur. patron.

V II.

Materiam Stipulationum quod attinet, sciendum est in Stipulationem deduci posse, 1. Res omnes quæ dominio nostro (a) subjici, (b) & ab aliis alienari (c) possunt: sive mobiles illæ sint, sive soli; (d) sive corporales, sive incorporales; (e) sive nunc extent, sive futuræ sint. (f)

(a) Itaq; rem meam quæ jam in dominio meo est, inutiliter stipulor, etsi ignorans meam esse. l. 10. §. 10. ff. de O. & A. & ne quidem in eum casum, quo res mea futura est, utilis erit stipulatio. §. 21. Instit. de Inutil. stipulat. l. 16. princ. ff. de V. O. Nisi eam stipuler 1. sub conditione, ita, si existentis tempore res mea amplius non sit. l. 31. l. 98. ff. de V. O. sic enim & emi potest, l. 61. ff. de contrah. empt. & legari. l. 41. §. 2. ff. de leg. 1. 2. Eiusdem usufructum si is alienus sit. l. 56. §. 6. ff. de V. O. vel 3. Pretium l. 82. princ. ff. de V. O. 4. Rem meam

B

mihi

mihī restitui. d. l. 82. & l. 8. ff. de acquir. vel amitt. poss. (b) l. 83. §. 5. ver sic. sed hac dissimilia. ff. de V. O. princ. Instit. de Inutil. stipulat. (c) l. 9. §. 1. ff. de acquir. rer. domin. l. 6. ff. de V. O. quæ verò sui naturâ dominio nostro exempta sunt, in stipulationem deduci nullo modo possunt. §. 2. Instit. de Inutil. stipulat. (d) princ. Instit. de Inutil. stipulat. (e) §. ult. Instit. de servit. §. 1. Instit. de V. usufru. (f) l. 73. princ. & §. 1. ff. de V. O. l. 8. ff. de contrah. empt.

V I I I.

Accidit autem, ut tot esse soleant Stipulationes quot Species, (a) Res, (b) Summæ, (c) Corpora. (d)

(a) l. 29. princ. ff. de V. O. nec refert si uni includantur stipulationi. l. 134. in fin. ff. de V. O. (b) modò de singulis separatim dicitur, aliàs una erit obligatio. l. 75. §. 9. l. 83. §. 4. l. 86. l. 140. princ. ff. de V. O. (c) l. 29. princ. l. 141. §. 1. ff. de V. O. (d) si de singulis quoq; dicitur in ipso contractu. l. 1. §. 5. ff. de V. O. secus si plura corpora in eandem stipulationem deducta sint conjunctim, una quippe tùm est obligatio. l. 29. princ. ff. de V. O.

I X.

2. Facta quoq; eodem modo quo res in stipulationem deducuntur.

Ut si stipulemur aliquid fieri vel non fieri. §. 7. Instit. de V. O. l. 137. §. penult. ff. eod. ubi ex mente & consilio Imperatoris consultiſſimum erit pœnam adjicere, ne quantitas Stipulationis in incerto sit, ac necesse sit actori probare quod eius inter sit. d. §. 7. Formula verò stipulationis pœnalis hæc ferè est, ut, si quid fieri stipulemur, ita pœna adjiciatur, si id factum non erit, tot pœnæ nomine dabis? l. 71. l. 122. §. ult. l. 137. §. 7. ff. de V. O. vel, si quid ne fiat stipulemur, in hunc modum; si adversus id factum erit, tot pœnæ loco dabis? dd. l. & §. ult. Instit. de V. O.

X.

Deducuntur autem tùm res, tùm facta in Stipulationem vel conjunctim, (a) vel disjunctim, (b) posteriori modo Electio penes promissorem (c) est, nisi eam sibi Stipulator constituerit. (d)

(a) Idque fit per particulam E T, ut si dicam illud & illud. l. 142.

l. 142. ff. de V. S. (b) per particulam disjunctivam, ut si dicam illud
aut illud, aut è pluribus speciebus unam. l. 75. §. 8. l. 105. l. 106. ff. de V. O.
(c) quo casu incertum quis stipulari dicitur. d. ll. (d) l. 112. princ. ff.
de V. O. quæ tamen electio personalis, cum ipsâ stipulatoris persona
ambulat, ni stipulator ante Electionem morte præventus sit, eo enim
casu omnimodò Electio & in hæredes transit. l. 76. princ. ff. de V. O.

X I.

Forma Stipulationis est, cum duobus (a) pluribusve
(b) de re unâ vel pluribus (c) inter se consentientibus, (d)
pars una (e) verbis (f) ore (g) coram (h) prolatis, an alte-
ra (i) quid sibi (k) datura facturave (l) esset, interrogat,
hæc quod interrogata est exaudiens, (m) se (n) id (o) da-
turam facturamve similiter verbis (p) ore coram prolatis,
continuò (q) & congruè (r) respondet.

(a) Ut enim duas partes habet Stipulatio, Stipulationem sc. spe-
cialiter sic dictam sive interrogationem, & promissionem sive respon-
sionem (quarum hanc illa præcedere debet, l. 1. C. de Vsur.) ita ad mini-
mum inter duos consistere necesse est, stipulatorem sc. & promissorem.
l. 1. §. 1. l. 83. princ. l. 137. princ. ff. de V. O. (b) qui dicuntur rei vel sti-
pulandi, vel promittendi, rubr. & tot. tit. Instit. & ff. de duo. re. Stipu-
landi autem rei dicuntur, quibus res eadem ab uno sive pluribus
reis promittendi debetur singulis in solidum. l. 2. ff. de duob. re. & §. 1.
Instit. eod. Promittendi contra, qui rem eandem ex Stipula-
tione uni vel pluribus reis stipulandi debent singuli in solidum.
d. l. & §. Notandum tamen est hîc, in utraq; obligatione unam rem
verti, & vel alterum debitum accipiendo, vel alterum solvendo
omnium perimere obligationem, & omnes liberare. d. l. & §. Quo
loco non immeritò dubitari & quæri poterit; Num ex duobus
reis promittendi alter partem dimidiam non invito creditori sol-
vendo, id agat, ut ipsam ita dividat Stipulationem ne creditor eun-
dem de reliquo convenire possit? Verum ni hoc ipsum in ipso
actum sit contractu, negativæ sententiæ subscribimus. l. 8. §. 1. ff. de
leg. 1. l. 51. §. 1. ff. de fidejussor. His scil. casibus, quibus post N. 99. c. 1.
correi debendi ultra partem virilem cum effectu conveniri possunt.
(c) nam non unâ modò, sed & plures res vel conjunctim vel disjun-

B 2

ctim

Et in eandē deduci posse stipulationem, dictum est superius *th. 10.*
(d) modò enim valida esse debeat stipulatio, necessariū erit, ut con-
veniat prius inter partes & consentiant *l. 1. §. 3. ff. de pact. tūm animo,*
l. 3. §. 1. ff. de O. & A. §. 12. Inst. de Inutil. stip. l. 65. §. 1. ff. de V. O. (quippe per
jocū respondens haud dubiè non obligabitur. *l. 3. §. ult. ff. de O. & A.*)
tūm re ipsā, & ita quidē, ut de re certā cōstet. *§. 22. Inst. de Inut. stipul.*
l. 83. §. 1. ff. de V. O. l. 137. §. 1. ff. eod. exemplo l. 9. pr. & §. 1. ff. de hered. inst.
vide tamen de hoc latius *Colleg. Jurid. Argent. lib. 45. tit. 1. th. 25.* (quo
loco non refert, quò utilis minus si stipulatio, si erratum sit in rei
vel materiā, *l. 22. ff. de V. O. vel nomine l. 32. & l. 65. §. 1. ff. de V. O. vel*
qualitatibus cæteris) Quod si autem non apertè constet quo de
actum sit, in dubio interpretatio est contra stipulatorem, cui libe-
rum erat apertius contractui legem dicere; *exemplo l. 21. & l. 33. ff.*
de contrah. empt. l. 39. ff. de pact. quod ipsum tamen limitari poterit
ex l. 99. ff. de V. O. (e) stipulans sc: (f) notanda hīc rursus differen-
tia stipulationis specifica, quā à cæteris maximè distinguitur cōtra-
ctibus, qui vel Re, vel Literis, vel nudo perfici possunt consensū.
§. ult. Inst. de O. l. 1. princ. & §§. seqq. ff. de O. & A. rubr. ff. de V. O. vid sup.
th. 1. lit. c. Quibus verò quis verbis stipulari possit, nulla inter lin-
guas est hodiè aut dicendi formulas sublatā verborum solennitate,
differentiā, modò uterq; contrahentium earundem gnarus sit atq;
intelligat, *l. 10. C. de contrah. stipul. Cujac. 14. observ. 60.* sive per se, si-
ve per verum interpretem. *§. 1. Inst. & l. 1. §. 6. ff. de V. O.* (g) Ore in-
quam, quod aliis non ad eò placet, sed dubium est valdè, Utrum
præcisè & necessariò viva vox ad perficiendam stipulationem re-
quiratur, an verò idem scriptura possit? Posterius certè non infi-
ciandum esse haud iniquè cuiquam videri posset propter *l. 8. ff. de*
O. & A. & l. 7. §. 12. ff. de pact. Ni prius vivam sc: vocem præcisè ad
stipulationem requiri pateret expressiùs è *l. 1. princ. ibi: utroque lo-*
quente. ff. de V. O. l. 70. ff. eod. l. 1. §. 12. & 14. ff. de O. & A. add. Trentl.
volum. 2. disput. 27. th. 1. lit. e. (h) inter præsentēs ex utrāq; parte
stipulatio fiat *l. 1. princ. & §. 1. ff. de V. O. §. 11. Instit. de Inutil. stipulat.*
l. 1. & 3. C. eod. (i) promittens sc: (k) non alii, cui inutiliter stipu-
lamur. *§. 5. Instit. per qu. pers. no. acq. §. 4. 18. Instit. de Inutil. stipul. l. 9.*
§. 4. ff. de reb. credit. l. 11. ff. de O. & A. l. 38. §. 17. ff. de V. O. l. 73. §. ult. ff.
de R. l. l. 3. C. de contrah. stipulat. Nisi quis alii stipuletur i. pœnā
adjecta

adjectâ. §. 18. *Instit. de Inutil. stipul. l. 38. §. 17. ff. de V. O. vel 2. si aliū*
quid dari aut heri nostrâ interfit. §. 19. Instit. de Inutil. stipul. l. 38. §.
17. 20. & 22. l. 97. §. 1. l. 118. §. 2. ff. de V. O. ut heredi nostro. l. 38. §. 14. ff.
de V. O. vel procuratori d. l. §. 23. 3. Nisi pater stipuletur filio quem
habet in potestate. §. 4. Instit. de Inutil. stipul. l. 39. & ibi not. Gothof.
ff. de V. O. in his sc: quæ Juris sunt, quæq; patri acquiri possunt &
rei dationem continent, l. 2. C. de contrah. stipulat. secus in iis quæ
facti sunt. l. 130. ff. de V. O. aut 4. filius patri, vel servus Domino,
tâm in his quæ Juris quàm quæ facti sunt. l. 38. §. 6. ff. de V. O. &
tâm in personam Domini quàm suam. §. 2. Instit. de stip. serv. l. 44.
princ. ff. de cond. & demonstr. exempl. l. 21. ff. de adim. lega. 5. Nisi ho-
mo liber qui bonâ fide nobis servit, stipuletur ex re nostrâ §. 1. In-
stit. per. qu. pers. no. acquir. l. 118. princ. ff. de V. O. 6. Favore religio-
nis ab aliis quoq; stipulari licet res piis causis destinâdas. l. 38. §. ult.
ff. de V. O. (l) omnem stipulationem vel in dando vel in faciendo
consistere dictum est sup. th. 3. (m) Non minùs enim promissor
verba stipulantis, quàm stipulator verba promittentis exaudire de-
bet. §. 7. Instit. de Inutil. stipul. l. 1. §. 15. ff. de O. & A. (n) non aliam,
eò quod alienum factum inutiliter promittatur. l. 38. princ. & §. 1.
l. 83. princ. ff. de V. O. l. 65. ff. de fidejussor. nisi vel pœna adjecta sit. §.
20. Instit. de Inutil. stipul. vel ut alius det, faciat, & contrâ, se quis cu-
raturum promittat. §. 3. Instit. de Inutil. stipulat. l. 67. l. 81. princ. ff.
de V. O. idq; vel per heredem, l. 11. §. 18. ff. de actio. empt. & vend. vel
quemvis etiam extraneum hoc modo, si contra placita fiat vel non
fiat, tantum quanti ea res est, promittatur. l. 38. §. 2. & 13. l. 50. ff. de
V. O. (o) non aliud, aded ut de pluribus quis interrogatus, ad sin-
gula respondere necesse habeat, §. 17. Instit. de Inutil. stip. l. 83. §. 4. ff.
de V. O. Contrarium enim si promittit, expeditum est & planum,
nihil eâ stipulatione actum esse, l. 1. §. 5. ff. de V. O. Colleg. Jurid. Argent.
lib. 45. tit. 1. th. 28. versic. Nec verò sufficit & c. si diversum, valebit sti-
pulatio, si responsionis diversitas illicò stipulatori placuerit,
eo enim casu alia contracta esse stipulatio, videtur. l. 1. §.
3. ff. de V. O. (p) quod ipsum si minus necessarium esset,
& annuens ad interrogata teneretur utiq; ; quem tamen neq; civi-
liter neq; naturaliter obligari patet ex l. 1. §. 2. versic. contra. ff. de
V. O. (q) nullo actu extraneo interveniente, l. 1. §. 1. l. 137. princ. ff.

de V. O. attamen modicum intervallum quod propositâ interrogatione responsum antecessit, stipulationem non vitiat, *d. l. 1. l. 6. §. 3. ff. de duob. re. modò stipulator ante responsum aliud non occiperit. l. 137. princ. ff. de V. O. (r) sive verbis æquipollentibus & interrogationi consentaneis. §. 1. Instit. de V. O. l. 1. §. 3. 6. ff. eod. l. 1. §. 7. l. 3. §. 2. l. 52. §. 2. ff. de O. & A. Adjecta tamen supervacua non nocent. l. 32. §. 6. ff. de aur. & arg. lega. l. 56. princ. ff. manda. neq; in verbis. l. 65. princ. l. 134. §. 1. ff. de V. O. l. 94. ff. de R. l. neq; in personis. l. 56. §. 2. l. ult. §. 3. ff. de V. O. neq; in rebus; ita enim non in totum, sed pro parte tantum annihilatur stipulatio. §. 7. Instit. de Inutil. stipul. ut si viginti stipuleris, & decem promissa sint, valebit utique stipulatio in decem. l. 1. §. 4. ff. de V. O. & contra si decem tibi stipulanti viginti promissa sint, itidem in decem stipulatio valebit. *d. l. 1. & §. Quid si verò responsum sit Impersonaliter? ut apud Plaut. in pseud. act. 4. scen. 6. Dabin? Dabuntur. Et vitiatam esse stipulationem contendit Wesenb. in paratit. lib. 45. tit. 1. n. 4. Hacke'm quest. illustr. disput. 22. th. 5. Contra sentit Colleg. Iurid. Argent. lib. 45. tit. 1. th. 27. n. 5. Treutl. volum. 2. disp. 27. th. 1. lit. e. quorum verior de Jure sententia stabiliri maximè videtur in §. 1. Instit. de stipul. serv. l. 38. §. 5. ff. de V. O.**

X I I.

Ad formam porrò refertur, quod stipulatio alia purè, (a) alia in diem, (b) alia sub conditione, (c) alia in diem & sub conditione simul (d) concipi solcat.

(a) Fit autem stipulatio purè, cùm quid simpliciter sine ullâ diei quo solvatur, aut conditionis mentione promittitur, ita ut hunc in modum factâ stipulatione, id quod in eam deductum est, confestim peti possit, §. 2. Instit. de V. O. etsi tacitam aliquando res ipsæ, ut præstari possint, exigere soleant vel diem vel conditionem, veluti si fundum stipulatus quis est, §. fin. Instit. de Inutil. stipul. vel fructus nascituros, l. 37. ff. de V. O. l. 15. ff. de pignor. l. 86. ff. de R. l. tantum enim tempus necesse est promissori ad solvendum dari, quo vel fundus tradi, vel fructus per rerum naturam præstari possint. §. ult. Instit. de Inutil. stipul. l. 14. l. 73. ff. de V. O. (b) cùm adjecto die quo quid solvi debeat, Stipulatio concipitur, eoque vel certo

§. 2. In-

§.2. *Instit. de V. O. vel incerto. l. 41. princ. ff. de V. O.* quod ipsum & ante diem peti potest, quia statim debetur, solvere tamen promissor antequam dies venerit, non cogitur, & nec illo ipso die, in quem dilata est solutio, is enim totus arbitrio promittentis permittitur. §.2. *Instit. de V. O.* (c) cum vel in casum futurum differtur obligatio, §.4. *Instit. de V. O.* ex qua nihil debetur, antequam conditio extiterit. d. §. 4. & l. 213. ff. de V. S. vel committitur in conditionem presentem aut praeteritam. l.100. l.120. ff. de V. O. l.37. l. 38. l.39. ff. de reb. cred. quasi ita se habet, ut convenit, statim debetur quod in stipulationem deductum est, sin minus, eadem confestim infirmatur stipulatio. §.6. *Instit. de V. O.* Quod si verò impossibilis conditio stipulationi adjiciatur, eaq; affirmativè concepta sit, (etsi in legatis pro non scripta habeatur, l.104. ff. de lega. 1.) ipsam statim infirmat obligationem. §.5. *Instit. de V. O.* §.10. *Instit. de Inutil. stipul. l.9. §.6. ff. de reb. credit. l. 7. ff. de V. O. l. 1. §.11. ff. de O. & A. in tantum, ut nec poena tali inserta stipulationi debeatur, l.69. ff. de V. O. (d) l.8. ff. de V. O. agi verò ante diem etsi ipsa extiterit conditio & certum sit deberi non poterit. arg. l. 22. princ. ff. quand. di. leg.*

XIII.

Finis Stipulationis duplex est, Generalis & Specialis: Ille, ut promissor Stipulatori teneatur in id de quo convenit; (a) hic, ut juvaret naturalem aequitatem. (b)

(a) l.2. princ. l.28. §. 7. ff. de V. O. §. ult. *Instit. eod.* hoc enim cum cæteris contractibus habet commune. princ. *Instit. de O.* (b) l. 6. ff. de pact. firmando contractus Jurisgentium ex quibus ferè pendere solet, Paul. 5. senten. 7. versic. 1. l. 5. princ. versic. conventionales. ff. de V. O. l. 3. ff. de rescind. vendit. Colleg. Jurid. Argent. lib. 17. tit. 1. th. 1. Interposita namq; certo contractui stipulatione, (utilis modo sit illa, l.126. §.2. versic. superest. ff. de V. O. l.6. §. 1. & l. 7. ff. de novat. si enim inutilis sit, firmus per se manet prior contractus neq; per subsequentem stipulationem inutilem mutatur, l.9. §. 4. §. 6. 7. ff. de reb. credit. l.6. C. si certum petatur. Et è vestigio naturalem contractum excipiat, vel praecedat, quod idem erit ac si sequatur l.126. §. 2. ff. de V. O. Cujac. lib. 10. observ. c. 24.) ex solâ stipulatione, non aliunde oritur actio. l. 6. §. 1. & l. 7. ff. de novat. l. 40. ff. de reb. credit.

credit. quò tamen casu sequitur naturam priorum contractuum. l. 43. ff. de dam. infec. Gail. lib. 2. observ. 139. n. 3. Wesenb. in paratit. lib. 45. tit. 1. n. 11. ita, ut non quicquam veniat in stipulationem, quod non fuerat in obligatione cui illa accedit. l. 56. ff. de leg. 1. l. 30. ff. de reb. cred. aut quicquam ex eâ debeat aliud. l. 2. §. 3. ff. de dol. ma. & met. except. inde patet, non absurdè dici posse, omnes stipulationes esse accessorias, nisi donandi animo fiant. Colleg. Iurid. Argent. lib. 45. tit. 1. th. 4. nec sine causâ, hoc est, nisi vel re ipsâ & factò, vel naturâ & potestate ad alium contractum tanquam materiam præcedentem accedant, ullum habere effectum. l. 2. §. 3. de do. mal. & met. except. Num igitur stipulatio ex intervallo alium accedens contractum, eundem novare solet? Non certè, eò quòd duæ potiùs sunt obligationes, quàm ut prior per stipulationem novetur: l. fin. C. de novat. l. 2. ff. eod. nisi expressè actum sit aliud. d. l. fin. l. 58. versic. sed qui actum. ff. de V. O. Duaren. ad. d. l. 58. Schneidenvv. in Instit. de V. O. princ. n. 12.

X I V.

Effectus Stipulationis est, ut producat actionem, eamq; duplicem, alteram conditionem certi, (a) alteram ex Stipulatu. (b) Utramq; (c) Juriscivilis, (d) perpetuam, (e) & in heredes utraque ex parte transitoriam. (f).

(a) Si certa sit stipulatio, & appareat quid, quale, quantum sit, quod in eam deductum est. *vid. sup. th. 5. lit. a. quæ tùm ex cæteris contractibus omnibus quibus certum petitur, l. 9. princ. ff. de reb. credit. tùm ex ipsâ datur stipulatione. princ. Instit. de V. O. l. 68. l. 74. l. 75. ff. eod. l. 24. ff. de reb. cred. quâ actor rem debitam rectè petit, etsi dolo, culpâ aut morâ debitoris peremptam. l. 23. l. 49. princ. l. 82. §. 1. l. 91. §. 3. 4. 5. ff. de V. O. l. 27. ff. de V. usufr. l. 59. §. 5. ff. mand. quaque reus conventus rem ipsam præstare cogitur, neque liberatur præstatione eius quod interest actoris. Trent. volum. 2. disp. 27. th. 1. lit. k. modò res ipsa per rerum naturam præstari possit; perditâ namq; re sine dolo, culpâ aut morâ debitoris, nec Jure nec factò tenetur. l. 37. l. 49. §. ult. l. 51. ff. de V. O. (b) Specialiter sic dictam, quæ alio nomine actio incerti dicitur *pr. Instit. de V. O. l. 68. l. 75.**

l. 75. ff. eod. l. 24. ff. de reb. credit. l. 4. ff. de usur. cum sc: non apparet quid, quale, quantumve sit quod in stipulationem deductum est. vid. sup. th. 5. lit. b. in quâ, ni reus conventa præstet, petendum venit id quod actoris interest. l. 72. ff. de V. O. l. 13. in fin. ff. de re. judic. (c) de his Paulus Jctus latiore explicationem & examinationem instituit in l. 85. ff. de V. O. (d) §. 9. Instit. de action. (e) Goedd. de V. O. cap. 11. concl. §. 11. n. 148. (f) §. 24. Instit. de Inutil. stipul. l. 38. §. 5. ff. de V. O. l. 13. C. de contrah. stipul. 1. Stipulatoris §. 4. Instit. de V. O. ita tamé, ut si in stipulationibus facti individuis pœna non sit promissa, ei soli qui prohibitus est quid facere, de quo in ipsâ stipulatione cavebatur, promissor teneatur. l. 2. §. fin. & l. seq. ff. de V. O. quin et si pœna promissa sit, coheredes enim nō prohibiti petentes removeri poterunt exceptione doli. d. ll. 2. Promissoris. l. 25. §. 13. ff. famil. ercisc. l. 85. §. 2. ff. de V. O. Tandem hæc actio utriusq; tam stipulatoris quam promissoris ex parte transit ad hæredes vel insolidum, si stipulatio sit individua, l. 2. §. 2. ff. de V. O. l. 25. §. 10. ff. famil. ercisc. l. 17. ff. de servit. l. 11. §. 23. 24. ff. leg. a. 3. l. ult. ff. de servit. leg. l. 192. ff. de R. I. vel pro parte hereditariâ si stipulatio sit dividua. l. 54. princ. l. 85. §. 1. ff. de V. O. l. 25. §. 13. ff. famil. ercisc.

COROLLARIA

I.

Cum tratatitium sit in iure nostro, Pauperes non eodem quo divites loco censeri; quandoquidem vel commodare solet Paupertas, veluti, quod iustitia pauperibus gratis administrari debeat, Gail. lib. 1. observ. c. 43. n. 16. & præced. Excusentur à tutela. l. 7. ff. de excus. tut. nec currat eis terminus interponenda post sententiam quamcunq; appellationis. l. 8. §. 8. versic. igitur: ff. mand. & sic consequenter in alijs. l. 27. §. 3. ff. de inoffic. testa. latius DD. in l. 6. ff. de offic. Præsid. quæ omnia nequaquã procedunt in divite, vel Obesse: ut enim propter amplissimas facultates homini quandoq; parcitur, l. 1. ff. de custo. reor. ita pauperes citiùs pœna corporis afficiuntur

G

ficiuntur

ficiuntur quàm divites. l. 7. §. 3. ff. de Jurisd. nec tanta pauperi
fides habetur ac diviti. l. 6. §. 1. ff. de Eden. quã etiã ob causam
à testimonio perhibendo removeri possunt: quod credibile val-
dè sit facile quid eos lucri causã admissuros, l. 3. princ. ff. de te-
stib. neque in difficili sit corrumpere eos pecuniã. arg. Nov.
90. cap. 1. in fin. Non incongruè quæri poterit: Quis propriè
pauper dici debeat? Quo loco sciendum est non de eo ambi-
gi, qui nihil planè in bonis habet, sed eo, qui possideat quidem
bona quædam, at ea non ampla. Gailius certè lib. 1. observ.
cap. 142. n. 18. eum pauperem esse judicat, qui quinquaginta
minus florenorum in bonis habet; idq; colligit ex l. 10. ff. de Ac-
cusat. quæ in hunc modum se habet: Accusare non possunt
nonnulli propter paupertatem, ut sunt, qui minùs quàm
quinquaginta aureos habent: at verò veteris monetæ aureæ
cum nostri eris floreno velle equiparare nulla certè permit-
tit ratio. Alij per quinquaginta aureos, quinquaginta millia
sestertiorum (quæ summa æquivaleret 1250. taleris phi-
lipp.) intelligunt, pro singulis aureis 1000. sestertios compu-
tantes. occasione §. 3. Instit. de succes. libert. & l. 4. §. II. (ubi
eadem ac in illo §. verba referuntur) C. de bon. libert. sed
neq; horum probabilis est sententia, quibus obiter sed commo-
dè satis respondet Alciatus lib. 3. dispunct. c. 9. Verius quippe
est veteres pro singulis aureis centenos sestertios (quorum bi-
ni dimidium Regalem Hispanum, qui est nobis dimidia pars
Eines halben Kopffstucks! valent, ita ut quadraginta sesterij
æquivalerent talero Philipp. idq; patet è computatione
Joann. Chocker in tract. dere numm. à quo non multum
dissentit Lipsius cap. 4. de pec. vet. pop. Rom.) computare
solitos: idq; ex Suetonio & Tacito probat Alciatus d. sup. l.
Pauper itaq; erit, qui in bonis non habet 5000. sestertios, id
est, 125. taleros philippicos.

Alj

Alij pro centenis aureis decem sestertia computantes (quæ summa est 250. tal. Philipp.) in idem cum precedentibus incidunt, è quibus est Alciatus d.l. & Didac. Covarr. de collat. veter. numism. c. 3. n. 3. Intantâ autem opinionum varietate, è quâ vix certi quid erui poterit, tutius erit rem totam iudicis arbitrio committere, qui non tam secundum patrimoniorum quantitatem, quàm etiam personarum qualitatem pauperem quemcumq; aestimabit. Schneidvv. princ. Instit. qui & ex quib. cau. manumitt. n. 12. & §. 6. n. 2. de Excusat. tutor. quam sententiam communiorem & veriore esse testatur Treutl. volum. 1. disput. 3. th. 10. lit. c.

I I.

Carcer ad continendos homines non ad puniendos haberi debet. l. 8. §. 9. ff. de poen.

I I I.

Militem populatorem cuiq; privatorum occidere non modò licere, sed & quemcumq; debere, constat ex l. 1. C. quan. lic. unicuiq; sin. Jud. se vind.

FAUTORES ET AMICI AD
Responsurum.

UT pullos Gallina suos fovet ordine justo.
Donec eant, donec post super ima volent;
Sic te noster amat, sic Flacchius educat; ut si
Quis dubitet, cordis dixerim habere nihil.

Joh. Paul. Crusius, Profefs. Publ.
Affinis Affini P.

I I.

DVM te Verborum juvat esse ligamine vinctum,
Sic verbis tecum contrahit alma Themis:
Fac, quo cepisti pede pergas juris alumne.
Fac, ut ad optatum carcerem anhelus eas.

Sic

*Sic ait: at contra tu; dic mea Diva vicissim:
Præmia sudoris qua mihi magna dabis?
En Elementa probè, Pandectas Codice disco,
Atq; Novellarum volvere jura volo:
Feudorum qua sit quoq; Consuetudo: Recessus
Imperij: Canones: Singula mens capiet.
Hæc erit una meis imis infixæ medullis
Cura. quid ipsa Themis? præmia summa dabo.
En & opes capies, & summum culmen honoris
Scandes, atque solo fama perennis erit.*

*Fausto successui
amicè g.*

*M. Joann Caspar Mockel,
Coloniensis.*

III.

A Damus Huenererus
Ἀναγαραμυαλῖνος
Re herus de manu suâ
*Non aliena sibi sunt cura, propria curat:
Herus de re sic vîq; manûq; sua est.*

Ad eundem

Pristina vere novo redeunt dum gramina campis:
*Dum pratis flores, arboribûsq; comæ:
Omnia dum rident, quia formosissimus annus,
Fructus venturi dulcia signa micant:
Florentem studiis quoque campum pandis, amice,
Venturi fructus optima signa tui.*

*Amicissimo suo fecit Amico
Ulricus Weißland/Isnensis,*

F I N I S.

TRASSBURG, Diss., A627-29

ULB Halle 3
004 527 275



56

1077







DEO AVTORE
THESES JURIDICAS
DE
STIPULATIONIBUS.

SUB PRÆSIDIO
CLARISSIMI, ET
CONSULTISSIMI VIRI
DN. SIGISMUNDI Glach / PRO-
fessoris publici Patroni & Præce-
ptoris sui honorandi.

Ad diem 7. Junij.

*Publicè & solenniter examinandas
proponet.*

ADAMUS Hünerer / Argentoratensis.



ARGENTORATI,
EXCUDEBAT PAULUS LEDERTZ,
Anno M. DC. XXVII.

77.
1627/5.
~~xxxx~~

